



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Beneficia Vetera Et Nova, Divæ Virginis Dittelbacensis

Sang, Eucharius

Wirceburgi, 1607

Capvt XIV. Mulier in partu euadit mortis discrimen.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64129](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64129)

comparata, demum Dettelbachium proficiscitur, votum ex itinere exoluturus. Accipit donum Diua Mater, & domui suæ noua parat beneficia.

CAPVT XIV.

Mulier in partu euadit mortis
discrimen.

IN pago, non procul à Rotenburgo, opido imperiali: mulier in partu periclitatur; nec vnā alteramue horam, sed totum triduum, dolores sustinet incredibiles, verbo vno, parturientis. DEVS; quantum tuos exerces? Fœtum quo vrgebatur, cū effundere nequiret, fœminæ auxiliij ferendi gratia præsentēs, concordibus sententijs pronunciant, actum de vita; imò fœtum in vtero statim, matrem in obstetricum manibus morituram. Clamores itaque & fletus, in vniuersa domo. Cæterum humanis absentibus auxilijs, diuina succedunt. Fœtus inter materna adhuc hærens viscera, brachium exerit, extremum quasi Vale præsentibus denunciaturus, simul & sacri Baptismi fontem petiturus. Quo deficiente, quid superest, è D. Augustini sententia, præter mortem æternam?

Obstetrix, cæteris longè prudentior, minimeq; tarda in alienæ salutis cura, euestigiò aqua, corpo-

*Epist. 20.
ad D. Hieronymum.*

ris quod extabat membrum, verbis diuinis ritè pronuntiatis, aspergit & baptizat. Et eccè, vix Christo renatus; necdum mundo natus, edit animam; & prius quodammodò æternæ adipiscitur vitæ dignitatem, quàm præsentis vsuram acceperit.

Mater sibi, iam iam omnium sententia morituræ, dapem diuinam dari rogat, oleumq; sacrum, ad luctam supremam contra genios tartareos, applicari. Diuam nihilominus Virginem in mente habens, votum addit: mortem, non amplius dubiam, sed certam, si euadat; se tanti beneficij, & Dettelbacensi in æde, & alibi æternum memorem futuram. Vix dixerat, & foetu exciso, ô dolores, vitam viresque recipit.

Quapropter Diua laudum præconia fudit.

CAPVT XV.

Quidam calculo & asthmate liberatur.

Rescit per idē tempus, Beneficijs nouis, Sacelli celebritas. Sacerdos asthmate curatur & calculo. Nomen suppressitur, cum ipsemet, qui diuinitus sanatus, occultatum esse voluerit. Sed cur tegit? Secreta Regis prodere, vituperium adfert: laudem verò eximiā, nomen suum etiam euulgare, quando indè maior

rei